

inferat. Si adspicimus lumen, verè istud adspicimus; si edimus herbam amaram, gustus nos statim istius admonet. Si ergè sensibus ad conservationem corporum tantum uteremur, nunquam nos fallerent; Si verò eosdem ad veritatem investigandam adhibemus, tunc sæpissime occasionem fallendi suppeditant. Sic cum concludimus, non dari minutissimos vermiculos, quia oculorum acie eos assequi non possumus, fallimur. Vel cum gramen adspicimus, & colorem viridem isti attribuimus, fallimur. Vel, cum aliquis, qui dulcia amat, alium idem facere judicat, fallitur. Sed tunc fallaciæ causa non est in sensibus, sed in judiciò nostrò malè usurpatò. Eòdem modò se res habet cum imaginatione, & hæc sæpissimè fallendi occasionem subministrat. Hoc vel ex eò patet, quod nihil sit in imaginatione, quod non prius fuerit in sensu; v. g. cum equum alatum imaginamur, tunc & equus & alæ in sensibus fuèrunt. Unicum hic errorem proferam. Senes opinioni alicui assueti, eam vix relinquere possunt, quia fibrillas in cerebrò certo motui per imaginationem assueverunt. Hinc, juvenis cujus imaginatio à præjudiciis libera facilius veritatem apprehendit quam senex. De passionibus notum est, quod parum vel nihil conceptibilitatis relinquunt. Manet propterea, quod supra diximus, ideas sensuum imaginationis & passionum esse lumen obscurum, quò non adeò commodè ad rerum essentias explicandas uti possumus.

§. XXI.

Multò clarius lumen in intellectu nostrò purò adspicimus. Hoc certum est, quod intellectus pariter occasionalis causa alicujus erroris esse possit. Sic cum quidam putant, materiam non esse in indefinitum divisibilem, nullà alià ex causâ quàm ex hac, quod comprehendere nequeant; quòd tamen evidentissimis demonstrationibus evincitur. Vel cum Turcæ generationem æternam Filii Dei negant, eadem ex causâ, quod ratione assequi non possint; vel cum Calviniani omnipræsentiam corporis Christi eadem ex ratione impugnant. Quod omne ex eò profluit, quod nostrum intellectus lumen sit valde limitatum. Sed in eò, quod intellectus noster clarè & distinctè concipit, nos minimè fallimur. Deus nobis hanc facultatem concessit, si ea me falleret, deceptionis culpa in autorem recideret, quod minimè admittere pos-

*Neg. clar. ab
certis
buntur
fallit*